

**De mercurio dulci novaque eum adhibendi methodo : dissertatio
inauguralis medica ... / auctor Carolus Exner.**

Contributors

Exner, Carl.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Augusti Petschii, 1830.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b78nakzs>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>


DE
MERCURIO DULCI
NOVAQUE EUM ADHIBENDI METHODO.


DISSEBRTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILIELMA,
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE I. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR
C A R O L U S E X N E R,
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

*J. G. HEINEN, MED. ET CHIR. DR.,
E. GLASSER, MED. ET CHIR. CAND.
F. KUEPPER, PHILOS. CAND.*

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.





Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22482088>

V I R O

ILLUSTRISSIMO GENEROSISSIMO
EXCELLENTISSIMO

COMITI

E. de Sandreczki-Sandraschütz,

A SUPREMIS EVOCATORUM PROVINCIAE SILESIAE ORDINIBUS, DOMINO MAJORATUS MACROBIELARIENSIS ATQUE MANZIENSIS, A CONSILIIS BELLI DOMINIORUMQUE REGIONUM, ORDINIS CRUCIS FERREAE EQUITI ECT. ECT.

SUMMA CUM REVERENTIA

HAS

QUALES CUNQUE PAGELLAS

OFFERT

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Exceptis salibus aliquot neutris atque mediis, ut natro sulphurico, ammonio muriatico et similibus, nullum existere puto medicamentum, cuius usus et administratio adeo frequens sit atque communis, quam hydrargyri. Non vituperandi quidem videntur ii, qui, demto mercurio, medendi artis fulcrumque praesidia magna ex parte labefactari, contendant; non solum enim specifica hydrargyri virtute sanantur morbi, aliis remedii inexpugnabiles, ut teterimus ille syphiliticus, verum etiam inflammationes, dyscrasiae perniciosissimae (scrophulosa, rhachitica), cachexiae (hydrops), imo fabricae vitia varii generis, hujus medicaminis beneficio extinguntur, aut mitescunt. Quae cum ad mercurium generatim, tum ad hydrargyrum muriaticum mite speciatim sunt referenda, nullum enim fore medicum existimo, qui hujus remedii vires saluberrimas non saepius expertus sit. Perspectis egregiis hydrargyri muriatici virtutibus factum est, ut *panaceam mercuriale* appellarent priores, ut scriptis singularibus mercurii dulcis laudes celebrarentur ¹⁾). Tametsi vero calomelas, omnium mercurii praeparatorum longe celeberrimum, diversissimis in morbis administratur, tamen adhibendi methodus minus variat, quam aliorum praeparatorum, v. c. mercurii sublimati corrosivi, praecipitati rubri, rel. Quid enim mercurius dulcis, auctis paulatim dosibus adhibitus, praestet,

¹⁾) G. F. Hildebrandt. dulcis mercurii laudes. Erlang. 1793.

hucusque nemo, quod equidem scio, examinavit atque descripsit; quod mirum videri potest, si meditamur, hanc administrandi methodum non modo in reliqua hydrargyri praeparata longe fortiora, verum etiam in multa alia medicamenta jam dudum esse translatam. Quum plura instituerim experimenta, quae de methodi istius eventu certiore me redde-rent, operae pretium duxi, dissertationis inauguralis argumentum ab hac materie desumere et eum scribendi ordinem sequi, ut, praemissis generalibus quibusdam, ad hyrargyri historiam pertinentibus, de calomelanos partibus constituentibus ejusque in organismum animalem efficacia exponerem, deinde novam adhibendi methodum explanarem hujusque praestantiam allatis observationibus illustrarem. Fortasse erunt, qui nova methodo haud opus esse dicant, quoniam syphilidis therapia recentiori aevo tanta ceperit augmenta, ut omnibus mercurialibus remediis carere possimus; at nova multa, quae initio saluberrima videntur, tempore abolentur et arrogantur; quare persuasum habeo, majorem numerum remediorum antisyphiliticorum, in mercurii locum substitutorum citius, ac prodierit, esse interitum. Quo magis haecce methodus, quae multis aliis palmam praeripere videtur, confirmetur atque divulgetur, medicos rogatos velim, ut eam attentione et accuratiori examine haud indignam existiment.

CAPUT I.

Quae de hydrargyri historia cognita sunt, partim paucis verbis retulerunt, partim aliquanto fusiis exposuerunt. *Fernelius*¹⁾, *Thomson*²⁾, *Gme-*

¹⁾ Medicina universa. Genev. 1679. pag. 586. Cap. 17.

²⁾ Dissertationes medicae. pag. 85. Lugd. Batav. 1705.

*lin*¹⁾, *Richter*²⁾, *Rambach*³⁾, *Schulz*⁴⁾, *Langenbecker*⁵⁾, *Otto*⁶⁾, *Buchholz*⁷⁾, *Hildebrandt*⁸⁾, e quibus quae notatu digna mihi visa sunt, hausi.

Hydrargyrum antiquitus fuisse cognitum, pro explorato omnes habemus; sunt autem, qui ejus cognitionem a primis inde artium et literarum incunabulis repeti posse, asserant, Daedalum eo usum esse dicentes, ad vivificandam (movendam) statuam ligneam. Graecos hujus metalli notitiam obtinuisse ab Aegyptis, non improbabile est, quum plura iis deberent, attamen hac de remagis suspicari, qua m certum judicium ferre licet, quamquam *Philippus Comicus*, qui ineunte Graecorum monarchia vixit, et *Aristoteles* testes habentur, Hydrargyrum ab Aegyptiorum sacerdotibus cum Daedalo esse communicatum⁹⁾, *Hippocratem* hydrargyri mentionem fecisse, *Hildebrandt* negat¹⁰⁾, sed nihil inde aliud cum evidencia concludi posse dicit, quam nomen pharmacologicum (hydrargyrum) ei fuisse incognitum. *Aristoteles* igitur et *Theophrastus Eresius*¹¹⁾ primi fuerunt, qui verbis disertis hydrargyrum memorarent et ἀργυρὸν χυτὸν (argentum fusum) appellarent. Quatuor saeculis post *Dioscorides*¹²⁾ ipso hydrargyri nomine

¹⁾ Apparatus medicam. Götting. 1795. Pars II. vol. 2. pag. 16 sqq.

²⁾ Das Quecksilber als Heilmittel. Berol. 1830. pag. 7 sqq.

³⁾ Usus mercurii in morbis inflammat. Diss. Hal. 1794. p. 7. sqq.

⁴⁾ Praecipuorum ex hydrarg. remedior. examen chim. Diss. Francof. 1805. §. 1.

⁵⁾ Quaedam de mercurii in corpor. h. efficacia. Diss. Berol. 1827. Cap. I.

⁶⁾ De actione hydrarg. medica. Diss. Haf. 1819. §. 4.

⁷⁾ Theorie und Praxis d. pharmac. chem. Arbeiten. Wien 1818. Th. I. pag. 51.

⁸⁾ Chemische u. mineralogische Geschichte d. Quecksilbers. Braunschw. 1793. Cap. 1 — 2. — Derselbe. Dulcis mercurii laudes. Erlang. 1793. §. 1 — 3.

⁹⁾ *Aristoteles*. Metereologia. Lib. IV. Cap. 8.

¹⁰⁾ Chemische u. mineralog. Geschichte d. Quecksilb. §. 8.

¹¹⁾ De Lapidibus. Edit. Heins. pag. 400.

¹²⁾ De materia medica. lib. V. cap. 64. pag. 669.

usus, id e cinnabari (*αύριον*) obtineri, neque minus nativum (in guttas concretum) reperiri tradit; idem de gravitate ejus, diffusibilitate et damnis disserit, quae usus inducat. Quam exigua autem *Dioscoridis* hac de re fuerit notitia, partim e manca praeparationis descriptione, partim ex eo patet, quod vasis plumbeis, stanneis, argenteis asservari contendit; scimus enim, dicta metalla facile solvi hydrargyro. Nomina *κίνναρπαρης* et *άύριον* apud *Dioscoridem* ambiguae significationis sunt. *Plinius*¹⁾ non modo hydrargyrum (argentum vivum) commemorat, sed etiam attributa ejus, colorem argenteum, liquidatem, divisibilitatem in guttas ect. enumerat. Quae de ejus praeparatione apponit, partim manca, partim falsa sunt, etenim e minio, in mortariis metallicis trito, cum aceto confici asserit; idem distinguere videtur inter argentum vivum et hydrargyrum, ita quidem, ut illud nativum, hoc e minio paratum dicat²⁾. *Vitruvius*³⁾, minii nomine exponit de hydrargyro, quod primum Ephesi repertum esse contendit; nec minus refert de hydrargyro nativo, ejus volatilitate, pondere specifico et usu auratoribus solo. *Galenus*⁴⁾, etsi mentionem fecit hydrargyri, exiguum ejus notitiam nactus erat, neque enim novarat nativum, neque eo, tanquam medicamine, usus est, neque ullam facultatem, qua insigniantur, prodidit. Isti quidem proceres sunt historiae naturalis artisque medicae, qui de hydrargyro, pauca quidem et obiter, disseruerint, nam qui secuti sunt, non modo physica ejus attributa, sed chemica etiam penitus indagarunt variaque nomina constituerunt, de quibus nonnulla proponam. Graeca vox „hydrargyrum, hydrargyrus,” qua *Dioscorides*, et la-

¹⁾ Historia natural. lib. XXXIII. cap. 41. tom. III. pag. 184 sqq. — cap. 42. — cap. 20. pag. 177. — cap. 32. pag. 181.

²⁾ Hildebrandt. chem. u. mineralog. Geschichte d. Quecksilbers. §. 8. not. X.

³⁾ De architectura. lib. VII. Cap. 8.

⁴⁾ De simplici medicament. facultate. lib. IX. Opp. Class. v. pag. 145.

tina „argentum vivum,” qua *Plinius* primus utebat, haud dubie splendorem argenteum et diffusibilitatem innuunt; comparatio cum aqua ($\nu\delta\omega\varrho$) ea propter facta videtur, quod per liquiditatem facillime movetur et per superficies declives eorum corporum, quibus non attrahitur, summa cum celeritate labitur¹⁾. Mercurii nomen veteres excogitaverunt alchemistae, facetias affectantes in eligendis vocabulis chemicis et anatomicis, partim, ut nonnulli²⁾ putant, propter volatilitatem hujus metalli, qua simile putabatur Mercurio, paganorum Deo, cuius galeae et talaribus alas affinxerunt poëtae atque artifices, partim quia persuasum habuerunt, quodque metallum certi esse planetae ejusque singularem experiri efficaciam³⁾. Ceteroquin diversissima apud antiquos chemistas et alchemistas significatio vocis *mercurii* occurrit, quod jam tradiderunt *Ettmüller*⁴⁾ atque *Teichmeyer*⁵⁾: „intellexerunt modo id, quod ex particulis tenuissimis et subtilissimis constat et quod summe mobile, leve, volatile et evaporabile, spirituosum et fugitivum. Mercurius vegetabilium est spiritus vini; mercurius animalium spiritus volatilis ect.” *Basilius Valentinus*⁶⁾ et *Paracelsus*⁷⁾, inter corporis elementa retulerunt mercurium; *Becher*⁸⁾ terram mercurialem corporis elementis interposuit. Reliqua hydrargyri nomina minus sunt usitata: v. c. aqua metallorum⁹⁾, ob liquiditatem; aqua sicca¹⁰⁾, quo-

¹⁾ *Hildebrandt.* chem. u. mineralog. Geschichte des Quecksilb. §. 2.

²⁾ Idem l. c. §. 3. — *Otto* l. c. §. 5.

³⁾ *Angeli Sala*, septem planetarum spagirica recensio. pag. 70. — *Paracelsus.* de secretis creationis. opp. II. pag. 792.

⁴⁾ *Pyrotechnia rationalis.* cap. V. pag. 93.

⁵⁾ *Institut. chemiae.* cap. XVI.

⁶⁾ *Triumphwagen des Antimonii.* pag. 325.

⁷⁾ *Opus paramirum.* I. pag. 26.

⁸⁾ *Oedipus chymicus.* pag. 65. — *Physica subterranea.* pag. 196.

⁹⁾ *Sala* l. c. pag. 71. — *Paracelsus.* de mineralibus. II. pag. 137.

¹⁰⁾ *Stahl.* fundamenta chymiac. pag. 123.

niam varia corpora, quae madescunt aqua communi, non humectat; argentum liquidum ¹⁾, fusum ²⁾ (*ἀργυρον χυτόν*); argentum mobile ³⁾ (*ἀργυρον κινητόν*), aqua argentea ⁴⁾, ob argenteum nitorem, liquiditatem et mobilitatem; aqua viscosa ⁵⁾, propter visciditatem; proteus et chamaeleon minerale ⁶⁾, ob varios colores, quos calcinatione, praecipitatione et sulphuris conjunctione induit; servus fugitivus ⁷⁾, ob volatilitatem; praeterea illusor, seu impostor ⁸⁾ chymicorum, eam haud dubie ob causam, quod alchemistae aurum ex eo obtinere frustra conati sunt ⁹⁾; Arabilus azoph ¹⁰⁾, Zaibar seu Zabach ¹¹⁾ vocabatur.

Tametsi igitur hydrargyrum non modo antiquissimis innotuit medicis et naturae scrutatoribus, sed etiam breve post tempus multis modis examinatum variaeque ejus facultates detectae sunt, sero tamen „in officinas medicamentarias receptum est¹²⁾.”

Persuasum enim omnes habuerunt, venenum esse acerrimum atque detestabile, in primis Dioscorides et Plinius (L.L. c.c.) hydrargyrum gravitate sua organa interna destruere existimarunt; neque ab his dissenserunt Heraclides ¹³⁾, Nicander ¹⁴⁾, Aetius ¹⁵⁾, Ga-

¹⁾ Neumann. praelectiones chemicae. pag. 1603.

²⁾ Geoffroy. mater. medica I. pag. 247.

³⁾ Idem. l. c.

⁴⁾ Neumann. l. c.

⁵⁾ Gebers vollständige chemische Schriften. Leipzig. 1710.

⁶⁾ Neumann. l. c. — Geoffroy. l. c. Wallerius. phys. chemie II. 3. pag. 10.

⁷⁾ Ettmüller. l. c. cap. V. pag. 93.

⁸⁾ Neumann. l. c.

⁹⁾ Hildebrandt. chem. u. mineralog. Gesch. d. Quecksilb. §. 5. not. k.

¹⁰⁾ Lemery. cursus chymicus. pag. 238.

¹¹⁾ Geoffroy. l. c. pag. 547.

¹²⁾ Gmelin. l. c. pag. 16.

¹³⁾ Apud Plinium. l. c. lib. XX. cap. V. pag. 370.

¹⁴⁾ Ibidem. lib. XXII. cap. 13. pag. 412.

¹⁵⁾ Tetrabil. I. serm. 1. ibid. IV. serm. 1. cap. 79.

lenus ¹⁾, *Paul Aegineta* ²⁾, *Actuarius* ³⁾, *Isidorus* ⁴⁾, *P. de Albano* ⁵⁾ et alii; imo seniori aevo haud pauci, in quorum numero fuerunt *Chr. de Honestis* ⁶⁾, *Mannardus* ⁷⁾, *J. Costaeus* ⁸⁾, *J. Hartmann* ⁹⁾, *Seb. Aquilanus* ¹⁰⁾, *J. Fernelius* ¹¹⁾, *Fr. Decker* ¹²⁾, et multi, quorum nomina retulit *Gmelin* ¹³⁾, eo pertinaciae progressi sunt, ut non internum tantum, sed externum etiam hydrargyri usum reformidandum putaverint. Minime igitur *Paulus Aegineta* primus fuit, ut *Langenbecker* ¹⁴⁾ tradidit, qui hydrargyrum in medicina adhiberi doceret; modo enim professus est *Paulus*, magos atque theurgos *Alexandrinos* hydrargo usos esse, ad metalla in aurum transmutanda. *Thomson* ¹⁵⁾ mercurium, inquit, empiricis debemus et barbitonisoribus; reliqui, ut *Fernelius* ¹⁶⁾, *Gmelin* ¹⁷⁾, *Richter* ¹⁸⁾, *Otto* ¹⁹⁾, *Schulz* ²⁰⁾, et alii, Arabes hoc remedium in medicinam introduxisse, consentiunt. Initio quidem ab his medicis externe administrabatur mercurius contra ulcera quaedam na-

¹⁾ l. c. lib. V. cap. 19.

²⁾ De re medica. lib. V. cap. 64.

³⁾ Methodus medend. lib. V. cap. 12.

⁴⁾ Origen. lib. XVI. cap. 18.

⁵⁾ De venenis eorumque remediis. pag. 14.

⁶⁾ Expositio super antidotarium Mesues. Venet. 1602.

⁷⁾ Epistolar. lib. VI. Paris 1528.

⁸⁾ In Mesuae simplicia et composita et antidotarii novem posteriores sectiones adnotationes. Venet. 1602.

⁹⁾ Dissert. de lue venerea. Marburg 1611.

¹⁰⁾ Interpretatio morbi gallici et cura. Lugd. 1506.

¹¹⁾ De luis vener. curat. perfectiss. cap. VI. pag. 587.

¹²⁾ Exercit. pract. circa medendi methodum. Lugd. et Amstel. 1673.

¹³⁾ l. c. pag. 16 — 19.

¹⁴⁾ l. c. cap. I. pag. 9.

¹⁵⁾ l. c. Diss. IV. pag. 85.

¹⁶⁾ l. c. cap. VI. pag. 186.

¹⁷⁾ l. c. pag. 19.

¹⁸⁾ l. c. pag. 11.

¹⁹⁾ l. c. §. 6. pag. 10.

²⁰⁾ l. c. §. 1. pag. 8.

turae occultae, post coitum impurum in genitalibus nata, quippe quibus mercuriales inunctiones mederi putabantur; crebrius autem necandis pediculis, scabiei aliisque morbis cutaneis sanandis hydrargyrum impenderunt Janus Damascenus, Avicenna, Abuberic, Aben Mesuae, Rhazes. Mercurium ipsum, quem vulgo vocant sublimatum corrosivum, Arabibus utique cognitum, quamvis venenis atrocissimis accensat, aequa ac ante eum Aethiopici, ut videntur, medici *Chuzi*, inter medicamenta erodentia refert *Rhazes*¹⁾, *Gerbii Arabis*, qui seculo vixit octavo, in Alchymia mercurii praeparata aliquot descripta legimus, ut hydrargyrum oxydatum rubrum et muriaticum corrosivum²⁾. Medici Europaei, in primis *Galenii*, quem oraculi instar habebant, auctoritate deterriti, multo post a mercurialium usu abstinuerunt, donec expeditionum sacrarum temporibus per Arabes edocti, de unguentorum mercurialium usu egregio ad debellandos morbos cutaneos sibi persuaderent. Nominatim *Theodorus Italus*³⁾ et *Guido de Chauliaco*⁴⁾ e mercurio et axungia confecerunt unguentum, quod contra scabiem aliosque cutis affectus exhibuerunt, quamquam eodem tempore et postea haud pauci Europaeorum medici ab hac methodo ita recesserunt, ut unguenta e mercurio parata aut prorsus rejicienda, aut cautissime adhibenda censerent⁵⁾. Seculo XV, quum morbus novus teterrimus, lues venerea, irrueret atque devastationes ingentes efficeret, medici certo remedio se destitui viderunt ideoque morbum venereum ab agyrtis, aromatariis, impostoribus, curari passi sunt, donec ad mercurium, multis adhuc in contentu habitum, adverterent animum. Primus omnium *Berengarius Carpensis*⁶⁾, teste *Fallopio*, in-

¹⁾ cf. *Gmelin*. I. c. pag. 20.

²⁾ Dasselben Geschichte d. Chemie. Th. I. pag. 16.

³⁾ cf. *Freind. hist. de la medicine*. Tom. III. pag. 235.

⁴⁾ Institut. chirurg. cum *Rogerii chirurg.* et alior. opp. Venet. 1499.

⁵⁾ *G. ab Honctis*. I. c.

⁶⁾ Commentar. super anatom. *Mundini*. Bonon. 1521.

unctiones mercuriales contra luem syphiliticam administravit, quamquam alii *Widemannum de Saliceto* id fecisse asserunt¹⁾; non vero unguentum tantum mercuriale, sed vapores quoque metallicos hunc in finem experti sunt. Non multo post *Fallopius* et *Vigo*²⁾, *Angelus Bononiensis*³⁾, *Ulr. ab Hütten*⁴⁾ et alii hanc methodum sunt secuti; neque minus unguenta, quae *Pinctor*⁵⁾ et *Grunpeck* syphiliticis exhibuerunt, mercurio erant impregnata. Nunquam non autem diaphoretica methodus adjungebatur et inunctiones ad salivationem largam continuabantur, quamobrem guajacum aliquamdiu in mercurii locum substituebatur⁶⁾. — *Joannem de Vigo* ineunte saeculo decimo sexto hydrargyrum praecipitatum rubrum jam interne administrasse contra syphilidem, *Astruc*⁷⁾ testatur. Vulgo autem ferunt, piratam illum notissimum, Barbarossam, internum mercurii usum, ad debellandam luem venereum, in medicinam introduxisse⁸⁾. Pilulas enim e mercurio, farina et terebinthina, quarum praeparationem a medicastro *Judeo* didicisse traditur, imperavit iisque non modo se ipsum syphilide saepius liberavit, sed etiam *Francisco I.* Galliae regi, formulam suam vendidit, unde magnam pilulae Barbarossae celebritatem obtinuerunt⁹⁾. At multos per annos de interno hydrargyri usu ambigebatur, donec *Paracelsus*¹⁰⁾, rejectis inunctionibus mercurialibus, novam adhibendi methodum doceret variaque hydrargyri praeparata, ut hydrargyrum oxydatum rubrum, hydrargyrum nitricum, nec non muriaticum mite et corrosivum, ae-

¹⁾ cf. *Otto*. Diss. l. c. §. 7. not. 2.

²⁾ Pract. copios. in arte chirurg. Rom. 1514. lib. II. cap. 20.

³⁾ *Libellus* de cura ulcerum exterior. ect. Bonon. 1514.

⁴⁾ De guajaci medicina et morbo gallico. Mogunt. 1519.

⁵⁾ De foedo morbo ect. Rom. 1500. cap. 17.

⁶⁾ cf. *Home*. Abhandlung v. d. verschiedenen Methoden, Quecksilb. in d. venerischen Krankheiten zu gebrauchen. Lpz. 1782.

⁷⁾ De morbo venereo. Edit. altera. Tom. I.

⁸⁾ cf. *Richter*. l. c. pag. 12.

⁹⁾ cf. *Voigtel*. Arzneimittellehre Th. II. 1817.

¹⁰⁾ Chirurgia magna. P. IV. de tumoribus et pustulis ect.

grotis propinaret¹⁾). Inde a *Paracelsi* aevo paucitatum de mercurii intus adhibiti virtute dubitarunt ideoque ad nostra usque tempora hoc remedium inter omnia antisyphilitica principem locum obtinuit. *Du Chesne*²⁾ mercurium praecipitatum rubrum et flavum aliaque praeparata in usum vocavit; *Mathiolus*³⁾ praecipitatum rubrum bene edulcoratum sub forma catapotii plures contra morbos imperavit, quod praeparatum quoque *Joannes de Vigo* in peste et colica laudavit; *Bayrus*⁴⁾ demum A. MDXXXVII primus pilulas, hydrargyrum vivum continentes, exhibuisse dicitur. Non lue tantum venerea mercurii usus limitabatur: jam *Zacutus Lusitanus* contra morbos diversissimos eum commendavit; *Fabricius Hildanus* de mercurii administratione contra arthritidem et rheumatismos primus disserit, minime vero eum comprobat. *Horatius Augerius*⁵⁾ neque minus *Helmont*⁶⁾ aquae mercuriali vires anthelminticas adscripserunt; *Rodericus Fonseca*⁷⁾ turpethum minerale in hydrophobia adhibuit atque *Tanwei*⁸⁾ ejusdem morbi remedium specificum in mercurio cerni, existimavit. *Benvenuto Bertini*⁹⁾ primus febres et exanthemata, in primis variolas et inflammationes, hydrargyri usu curasse traditur. Praeterea in plica polonica, febribus intermittentibus, hypochondria, melancholia et mania, in hydrope, ileo morbo, scrophulosi, struma, spina ventosa, imo omnibus fere humorum et partium solidarum morbis exhibitum

¹⁾ *Schulz.* diss. l. c. §. I. pag. 10. — *Richter* (l. c. p. 12.) mercurium sublimatum corrosivum a *Wiesemann*, A. 1667. primum administratum esse, testatur.

²⁾ Consultat. de lue venerea, in libr. pris. philos. verae med. mat. Genev. 1603. pag. 388. seqq.

³⁾ De morbo gallico. Venet. 1553.

⁴⁾ cf. *Voigtel* l. c.

⁵⁾ cf. *Haller*. biblioth. med. pract. Tom. I.

⁶⁾ cf. *Aufg. d. Arzneikunde*. Sulzbach 1683.

⁷⁾ Cons. med. Frankof. 1625. pag. 169.

⁸⁾ *Histoire de l'academie des sciences* 1699.

⁹⁾ *Dissert. historico-epistolar. ad Beccarium*, qua febres Lucens. dominii describuntur ect. 1754.

esse mercurium, satis fuse exposuit *Otto*¹⁾. Incitationis theoria, quam *Brown* ejusque sectatores divulgarunt, nonnullos quidem medicos a mercurii usu deterruit, attamen ex toto remedium abolere non valuit, eam praecipue ob causam, quod omnia in hydrargyri locum substituta, ad debellandum morbum syphiliticum, usu salutari destitui solebant²⁾. Postea, quum remediorum quantitativi et qualitativi effectus penitus ventilari coepissent, non solum hydrargyrum in pristinam dignitatem restituebatur, sed etiam tanta cum audacia tantisque dosibus adhibebatur, ut fieri non posset, quin damna manifestissima apparerent; quibus rebus commoti recentiorum nonnulli, hydrargyri virtutes minime obtrectantes, non abrogandum quidem hoc remedium, attamen usum ejus ita restringendum censem, ut aperta incommoda certo vitentur.

C A P U T II.

Quaemadmodum mercurii usus paulatim adeo innotuit, ut nullum fere existeret morborum genus, cui non salutaris putaretur, ita hydrargyrum muriaticum, imprimis mite, reliquis praeparatis mox pallam praeripuit; recte quidem, etenim haec forma non modo plurimis et saluberrimis virtutibus insignitur, verum etiam ejus abusus, si quis committitur, leviora infert detrimenta, quam hydrargyri corrosivi, praecipitati et aliarum formarum. Praeter alia hydrargyri muriatici mitis nomina (*mercurius dulcis*, *Chloretum hydrargyri*, *panacea mercurialis*, *aquila alba mitigata*, *manna metallorum*, *panchymagogum minerale etc.*), quae veterioribus praesertim usitata erant et partim ab ejus indole, partim ab usu egregio et vulgari desumebantur, nullum est communius, quam *calomelas*. Inventum esse dicitur hoc nomen a *Theodoro Mayerne*, saeculo medio

¹⁾ Diss. I. c. pag. 25 — 31.

²⁾ cf. *Richter* I. c. pag. 13.

XVII vivente, qui octies repetita sublimatione efficit, ut catharticum remedium certum et insons obtineretur, quod in honorem Aethiopis cuiusdam, Kalomelas dicti, abs quo in perpetrandis operationibus adjutus est, singulari hocce nomine impertivit ¹⁾). — Alii vero, ut *Werlhof* ²⁾, „ἀπὸ μελιτος, a melleae dulcedinis metaphorica notione, aenigmatico chemicorum more, non ἀπὸ μελανος, a nigro, quum minime nigrum sit,” hanc vocem derivant. *Hildebrandt* ³⁾, „mercurius dulcis, inquit, sextam aut septimam sublimationem passus, *calomel* dicitur, nonam aut plures, *panaceae mercurialis* titulo ornatur ⁴⁾).” Priores enim opinabantur, hoc praeparatum iteratis sublimationibus emendari, donec inteligerent, hydradyri muriatici corrosivi formationi per hanc methodum facile ansam paeberi. Agendi methodum, ad conficiendum hocce praeparatum mercuriale primum traditam et descriptam esse ab *Oswald Croll* ⁵⁾ A. 1609, mire consentiunt auctores hac de re disserentes, in primis *T. Bergmann* ⁶⁾, reliqui enim minus diserte affirmant. Sunt vero haud pauci, ut *Buchholz* ⁷⁾, *Richter* ⁸⁾, *Dulk* ⁹⁾, *Otto* ¹⁰⁾ et alii, qui *Beguinum* ¹¹⁾ A. MDCVIII. Draconis mitigati nomine descriptsse affirment. *Crollii* et *Beguini* exempla brevi temporis spatio ita secuti sunt medici, ut in plurima Europae pharmacopolia hoc praeparatum susciperetur.

Habuit

¹⁾ Gazette de Santé 1821. — *Hufeland's Journal* Bd. LIII. St. 5. pag. 134.

²⁾ De limitanda febris laude; in opp. edit. a *Wichmann* 1775. pag. 464.

³⁾ Dulcis mercurii laudes §. I. pag. 12.

⁴⁾ cf. *Richter* l. c. pag. 199.

⁵⁾ Basilic. chymic. 1638.

⁶⁾ Opuscul. physic et chemi. Vol. IV. 1787. pag. 101.

⁷⁾ l. c. pag. 539.

⁸⁾ l. c. pag. 199.

⁹⁾ Die Preussische Pharmacopoe, übers. und erläut. 1830. Th. II. pag. 444.

¹⁰⁾ Diss. l. c. §. II. pag. 24.

¹¹⁾ Tirocin. chymic. 1623.

Habuit tamen suos eosque haud mites adversarios, qui inter venena id referre non dubitarent¹⁾. At quum damna illata vel ab ejus abusu, vel aliis conditionibus, v. c. exiguo indicationum respectu haud dubie profecta sint, nostri temporis medici praeceteris praxi idoneum censuerunt. A. MDCLXXXVI *Le Mort*²⁾ divulgavit methodum, qua hydrargyrum vivum cum natro muriatico misceri massamque cum dupli quantitate oxydi ferri rubri (Colcothar) sublimari possit. Anno MDCCXXXV editores pharmacopoeae Edinburgensis antiquioris³⁾ hoc praeparatum ita confici posse docuerunt, ut quatuor partes mercurii sublimati corrosivi cum tribus hydrargyri vivi partibus sublimentur, qui parandi modus brevi tempore chemicis placere coepit. *Baumé*⁴⁾ Anno MDCCCLXXII docuit, mercurii sublimati dulcis libram continere Drachmam dimidiam vel integrum mercurii sublimati corrosivi, opus igitur esse, ut terratur et ex aqua salis ammoniaci coquatur. Huic autem refragatus est *Wieglob*⁵⁾, nunquam mercurii sublimati corrosivi aliquid admixtum se reperisse, diserte asserens. *Scheele*⁶⁾ A. MDCCLXXVIII hoc praeparatum via humida, e solutione hydrargyri nitrica, per solutionem natri muriatici obtinuit, eductus haud dubie observationibus, a *Boerhaave*, *Lemery* et *Neumann* evulgatis. Quum nonnulli chemici praeparatum purum hocce modo obtineri dubitarent, *Buchholz*⁷⁾ MDCCCI — MDCCCVII hanc *Scheeli* methodum emendavit et hydrargyrum muriaticum

¹⁾ cf. *Teichmeyer*. medic. legat.

²⁾ Chymia med. physic. Lugd. Bat. 1696. pag. 138.

³⁾ Pharmacopoea Edinburg. 1735. pag. 186. — *Lewis* all. gen. Engl. Dispensator. II. 654. — *Wieglob's* Handbuch der Chemie. Edit. II. Th. 2. pag. 216.

⁴⁾ cf. Gazette salutaire 1772 No. 2. u. 3.

⁵⁾ Geschichte d. Chemie. Bd. II. pag. 120 — 21.

⁶⁾ Sämmtliche phys. u. chem. Verke, herausg. v. *Hermbstädt* Bd. II. 8. pág. 163 — 68.

⁷⁾ Taschenbuch für Scheidekünstler u. Apoth. 1807. pag. 71. bis 77. —

mite purum impetrari posse, commonstravit. Anno MDCCCLXXXII *Hagen*¹⁾ ad vitandam tritionem laboriosam et periculosam hydrargyri cum sublimato corrosivo, sufficere dixit, hydrargo muriatico corrosivo in vasa recepto adjici hydrargyrum vivum, totamque massam solito more sublimari. Hanc methodum *Lichtenberg*²⁾ ex toto probavit, at *Bucholz*³⁾ majorem hydrargyri muriatici corrosivi et mercurii vivi partem immutatam ascendere docuit, priusquam formetur calomelas. Via sicca, quam praecipit pharmacopoea Borussica, ad obtainendum mercurium dulcem, haec est: quartuor partibus hydrargyri muriatici corrosivi in mortario lapideo tritis et pauxillo alcoholis irrigatis, tres partes hydrargyri vivi puri adduntur massaque teritur, donec pauci globuli mercurii animadvertantur totumque in massam cinereum abierit. Haec, leni calore siccata, in vitra aequabilia, bona, uncias 12 — 16 capientia, non nimis crassa, ostiis paulo amplioribus instructa, immittitur; vel hunc in finem cucurbitulae sublimatoriae, e vitro viridi, tenui, bene refrigerato confectae, eliguntur. Vasa tantum ad quartam, summum tertiam partem sunt implenda, tum in catino sublimatorio apto ita collocanda, ut arena quovis sub vitro altitudinem pollicis habeat, lateribus autem vitrorum ita admoveatur, ut modo quarta altitudinis pars nuda exstet. Ut omnia rite calefiant, initio adhibetur ignis lenior isque gradatim intenditur, donec vitrorum contenta avolare incipient. Hydrargyrum vivum superadjectum, initio sublimationem expertum, postquam volatile evasit, vitrorum ostia operculo cretaceo laxe obdurantur, arena caute sed quam celerrime a superiori vitrorum parte ad aliquot pollicum distantiam removetur, ut mercurius sublimatus adscendens huic parti refrigeratae inhaerescere et condensari possit. Calor aequabilis ad sublimationem necessarius eo usque sustinetur, donec fundus vasorum va-

¹⁾ Leib.-buch d. Apothekerkunst. 4te Aufl. II. pag. 290.

²⁾ Berlinisches Handb. f. die Pharmacie. 1804. p. 179. sq.

³⁾ Taschenbuch f. Scheidekünstler ect. pag. 89 — 107.

cuus et candens appareat. Inter sublimationem opercula cretacea per vices retrahuntur et ostium, si sublimato hydrargyro elevato obstructum sit, filo metallico reservatur. Finita sublimatione, vasa adhuc calida ex arena depromuntur, loca, quibus adhaesit mercurius sublimatus, spongia madida absterguntur, quo fit, ut vitrum rimas agat et hydrargyrum sublimatum post refrigerationen facile solvatur. Mercurius sublimatus mitis, frustulis solidis consistens, super lapide praeparatorio, adjecta aqua, in pulvrem subtilissimum redigitur, qui siccatus et inter laminas chartae laevigatae complanatus, ne vestigium quidem punctulorum splendentium prodat, necesse est. Ut omnes sublimati corrosivi reliquiae extinguantur, pulvis iste oblitus aqua, donec haec in oxydulum stanni muriaticum non amplius reagat; vel, quod melius est, cum alcohole digestus, in umbra siccatur et asservatur. Pharmacopoea nostra alteram praescribit sublimationem, qua omnino opus est, si praeparato post primam sublimationem particulae mercurii vivi et sublimati corrosivi intermixtae sunt. Quoniam modo hydrargyrum muriaticum mite via humida obtineatur, quod *Scheele* docuit, hic non exponam, quum minus stricte ad rem pertineat¹⁾; verumtamen de hujus praeparati conformatione nonnulla subjiciam. Priores chemici, acidum muriaticum inter acida oxygenata referentes, mercurium sublimatum corrosivum habuerunt pro oxydo hydrarg. muriatico, quod terendo cum mercurio vivo oxygenii partem, qua mercurius vivus oxyduletur, deponat eoque modo et ipsum mutetur, in oxydulum. Quum porro sales oxydulati non tantum acidi contineant, quantum oxydati, acidum muriaticum, in sublimato mercurio corrosivo contentum, sufficit, ut cum majori oxyduli quantitate formetur oxydulum hydrargyri muriaticum, quod tanquam calomelas sublimatur. Recentiores autem, abrogata hacce theoria, materias salinas compositas pro chlori connubiis cum principiis elementaribus

¹⁾ *Dulk* l. c. pag. 445 — 46.

habent. Proinde mercurius sublimatus corrosivus atque mitis sunt connubia chlori cum hydrargyro, modo partium constituentium proportionibus discrepantia. — Mercurius sublimatus corrosivus est Hg. Cl. Cl. i. e. atomus chlori duplex, cum hydrargyri atomo simplici; addito altero hydrargyri atomo, obtinetur Hg. Hg. Cl. Cl., i. e. calomelas. Atomus chlori duplex, qui in mercurio sublimato corrosivo adstrictus est atomo simplici hydrargyri, addito altero hydrargyri atomo, adjuvante calore, ita distribuitur, ut tam chloridum hydrargyri quam hydrargyrum vivum, qua talia, aboleantur novumque oriatur connubium chemicum, chloretum hydrargyri, cuius quisque atomus chlori duplex continet atomum duplum hydrargyri. — Ad examinandam hujus praeparati puritatem, in primis mercurii sublimati corrosivi portio respicienda est. Proinde coquatur cum alcohole et filtretur, additoque aquae octuplo, aqua calcis, ad alteram partem chloretum stanni et aqua hydrothyonica adjiciantur; illa cum sublimato insito praecipitatum rubellum, haec vero atrocinereum fingunt. *Wedekind*¹⁾ mercurium dulcem ablutum ter spiritu vini rectificato superinfuso, quo per aliquot dies alcali sit subactum, deflagrari, deinde subtilissime conteri jubet, quippe qua methodo omnes ac singulae mercurii sublimati corrosivi partes a calomelane auferantur.

CAPUT III.

Calomelas non egregia tantum, sed specifica etiam virtute gaudet, quo factum est, ut inter omnia mercurii praeparata non modo summam sibi pepererit famam, verum quoque frequentissime administretur. De usu ejus communi atque efficacia jam saeculo superiori optime disseruerunt: *We-*

²⁾ cf. *Horn*, Archiv f. med. Erfahrg. ect. 1827. St. Juli. — Augst. pag. 624.

del ¹⁾), *Camerarius* ²⁾), *Stenzel* ³⁾), *Alberti* ³⁾), *Wanner* ⁵⁾), *Hildebrandt* ⁶⁾), *Hoffmann* ⁷⁾ et alii. *Omnium salium levissime agit* ⁸⁾, multo levius, mercurio praecipitato rubro, attamen ventriculum paulo gravius offendit, oxydulis meris ⁹⁾, etenim doses maiores haud raro vomitum doloresque colicos inducunt, imo *Goelis* ¹⁰⁾ diserte affirmat, portiones largiores infantibus enteritidem letiferam excitasse; *Richter* ¹¹⁾ etiam, desinant utinam medici, inquit, dosibus enormibus calomelanos uti, ad debellandos omnes morbos graviores, in primis infantum. Effectus hujus remedii, quamquam per se mitissimi, adeo promptus est, ut nullum aliud ei possit aequiparari; idem effectus est certissimus, cuius quemlibet gradum usu mercurii dulcis interno moderari licet ¹²⁾. Quod attinet vim intensivam, multo maiorem gradum hocce remedium tenet, quam oxydula, scilicet medium fere inter haec et salium oxyda. *Celerius* et efficacius assimilationis processum afficit, quam reliqua mercurii praeparata eoque medio citissime et optime plasticitatem humorum praevalentem cohibere valet. Non minus in resorptionem agit ideoque praeferriri solet a medicis, ubi et haec et urinae secretio est promovenda. Incitamentum sistere videtur purissimum vasorum lymphaticorum ¹³⁾, cui virtuti debetur ejus vis resolvendi, absor-

¹⁾ De mercurio dulci. Jen. 1700.

²⁾ De panacea mercuriali. Tubing. 1700.

³⁾ Progr. de mercurio dulci. Vit. 1742.

⁴⁾ De singulari mercur. dulc. usu. in desper. quibusdam morb. Hal. 1745.

⁵⁾ Ratio dulcificationis mercurii ect. Argentor. 1747.

⁶⁾ Mercurii dulcis laudes. Erlang. 1793.

⁷⁾ Von d. Arzneikr. des rohen Quecksilb. ect. Mainz 1796,

⁸⁾ *Vogt*, Pharmacodyn. Bd. II. pag. 351.

⁹⁾ Derselb. l. c.

¹⁰⁾ Practische Abhandlg. üb. Kinderkrkh. Bd. I. pag. 130.

¹¹⁾ l. c. pag. 203 — 4.

¹²⁾ *Vogt* l. c. pag. 351.

¹³⁾ *Richter* l. c. p. 203.

ptionem adjuvandi, omnes secretiones et excretiones pronovendi. Tubi intestinalis secreta non modo adauget, sed specifice mutat, faeces magis minusque fluidas, viridiusculas efficit aut fuscas¹⁾ actionemque vicariam viarum primarum excitans, fortasse morbosas actiones aliorum organorum per antagonismum tollit. Doses largiores satis certo alvum solvunt et modo sensilioribus hominibus, nisi enormes sint, tormina inferunt. Hanc exserens efficaciam, mercurius dulcis rarius salivationem excitat, quam oxydula; generatim medici Germani pauciores tantum sibi persuasum habent, hydrargyrum muriaticum mite facilius provocare ptyalismum, quam alia mercurii praeparata, quod omnes fere Galli ei exprobrant ideoque nunquam fere contra syphilidem eo utuntur²⁾. Irritato pancreate, mercurius dulcis interdum diarrhoeam aquosam, salivationem quasi pancreaticam efficere dicitur³⁾. Annesley⁴⁾ calomelas egregium exhibere dicit praesidium, ad tollendam nimiam ventriculi et intestinorum irritabilitatem, vomitum et diarrhoeam; doses tantum minores, granorum 2 — 6, primarum viarum irritationem sustentare, maiores autem, granorum 20, contrarium effectum praestare; attamen dosin haud repetendam praetereaque duo opii grana adjicienda esse tradit. Diuturnior calomelanos usus plerumque reactionem vitalem specificam, febrem mercuriale et, si haud suspenditur, cachexiam universam, morbum mercuriale producit, cuius symptomata, utpote satis nota, non prolixius describam. — Quamquam pauci existunt morbi, qui, per se spectati, calomelanos usum plane respuunt, nullus tamen omnium plus ei debetur, quam syphilis, cuius fere omnes formae promptissime atque tutissime ei cedunt⁵⁾ Richter⁶⁾ ad

¹⁾ Sundelin, Handb. d. spec. Heilmittellehre Bd. I. p. 208.

²⁾ Vogt l. c. pag. 351.

³⁾ Sundelin l. c. p. 208.

⁴⁾ cf. Hecker, pract. Arzneimittell. Bd. II. p. 676. Edit III.

⁵⁾ Hecker l. c. p. 677.

⁶⁾ l. c. pag. 242 — 43.

hoc praeparatum rarius confugiendum dicit in morbo venereo, non quod salvationem facile excitet, ut Galli pudent, sed quod diutius adhibitum in tubum intestinalem inimice agat. Experientiam docuisse tradit, modo leviores atque primarias syphilidis formas eo sanari saepeque morbum, solo calomelane curatum, recidivum fieri. *Rust*¹⁾, omnes, inquit, syphilidis inflammatoriae formae praeceteris calomelanos usum requirunt, ut bubones, praeputii inflammationes, testiculorum, conjunctivae oculorum ect. Teste *Krügelstein*²⁾ mercurius dulcis ulcera primaria optime atque celerrime sanat et syphilidem universalem arcet. *Jahn*³⁾ syphilidem meram, ut ulcera, calomelane tuto sanari, reliquas autem morbi formas facile recidivas fieri asserit, nisi alia remedia mercurio dulci adjiciantur. *Hekker*⁴⁾ et *Sundelin*⁵⁾ non in primaria tantum, verum etiam secundaria syphilide usum egregium praestare, contendunt. *Weinhold*⁶⁾ curationem mercuriale magnam, quam dicit, commendat praeceteris in syphilide inveterata. Methodus hujus haec est: vespertino tempore, tres ante decubitum horas, jejuno ventriculo gran X. calomelanos cum sacchari gran. XV.; tum phialas duas jusculi carnis tepidi, altero mane infusi coffeae modice fortis phialas duas hauriri jubet, quo facto ter vel quater faeces liquidas sedere affirmat. Quae si non subsequantur, horas decem vel duodecim post assumptionem gran. XV — XX. radic. Jalappae cum eadem Kali tartarici portione ingeri suadet, ut semel saltem alvus laxetur. Biduo interposito, prout res expostulat, vespere diei quarti calomelanos gran. XX — XXV in

¹⁾ Medicin. chirurg. Zeits. 1813. Bd. III. pag. 191. — Dess. mag. Bd. V. pag. 24.

²⁾ Die Kunst, d. Geschwure zu heilen etc. 1828. pag. 283.

³⁾ Pract. Materia med. 4te Aufl. Bd. II. pag. 69.

⁴⁾ l. c. pag. 677.

⁵⁾ l. c. pag. 217.

⁶⁾ Von d. Krankh. d. Gesichtsknochen u. ihrer Schleimäute etc. Halle 1818. pag. 38.

duas vel tres doses divisa, exhibenda eundemque agendi modum die septimo, decimo, decimo tertio, dec. sexto, undevicesimo et vicesimo secundo repetendnm esse dicit, ita, ut septima aut octava dosi curatio terminetur. Multi medicorum, ut *Hufeland*¹⁾, *Chelius*²⁾, *Sundelin*³⁾, *Beyer*⁴⁾, *Wittke*⁵⁾ et alii hanc *Weinholdii* methodum vituperant, partim incertum effectum ei exprobrantes, partim noxiū imputantes; *Neumann*⁶⁾ vero efficaciam non modo eximiam ejus laudat, sed etiam aliis methodis, praesertim Louvrieri inunctionibus eam praeponit. Promtissime ulcera syphilitica, ozaenam, ophthalmias diuturnas, cariem, imprimis palati duri et syphilidem rapidiorem hac methodo curari, contendit, minus autem morbos cutis venereos, minime condylomata. *Boyle*⁷⁾ in prima- ria syphilide integra calomelanos scrupula exhibit raroque plus dosibus duabus, grano opii uno nuptis, requiri tradit. *Cartwright*⁸⁾ tam in recenti quam inveterata syphilide singulis diebus ante cubitum calomelanos scrup. unum cum quatuor rhei granis imperat, donec sapor metallicus et gingivarum intumescentia oriantur. — Ut effectus obtineatur salutaris, non praetermittendae sunt quaedam cautelae corporisque conditiones, quae calomelanos usum vel restringi, vel arceri jubent, de quibus nonnulla disse- ram. Status inflammatorius hypersthenicus, eretismus systematis vasculosi insignis, constitutio debili- lis, sensilior, ad spasmos asthenicos et nervorum affectiones opportuna, hypochondria et hysteria mere nervosa, propensio ad haemorrhagias, in primis hae-

¹⁾ *Dess. Journal.* Bd. LIV. St. V. pag. 126.

²⁾ *Heidelberg. klin. Annal.* Bd. I. St. I. pag. 144.

³⁾ l. c. pag. 218.

⁴⁾ *Hufeland Journal* Bd. LIII. St. III. pag. 106.

⁵⁾ *Diss. de Weinholdii hydrarg. adhibendi method.* Berol. 1821.

⁶⁾ v. *Gräfe u. v. Walther Journ.* Bd. II. St. III. pag. 427.

⁷⁾ cf. *Froriep. Notizen*, Bd. XVI. No. 15. pag. 239.

⁸⁾ cf. *Medicin. chirurg. Zeitg.* 1827. Bd. IV. No. 90. pag. 193.

moptysin, dispositio phthisica manifesta, habitus tenurimus, aut leucophlegmaticus, graviditas, senectus, nimia ventriculi et intestinorum irritabilitas, praeceteris indoles scorbutica et putrida, generatim mercurii usum vetare putantur¹⁾. Corpora obesa, spongiosa, plethorica cum fibrarum laxitate, nec non spirituosis dediti homines, minus bene sustinent hydrargyrum. Multo minus ejus usus convenit morbis tabificis, a nervorum systemate ordientibus, suppurationibus profusis, tam internis quam externis. Ubi partes sphacelosae ob tardam et pravam suppurationem haud promte excutiuntur, multo cum fructu administratur calomelas, quippe quod puris copiam auget indolemque corrigit; haec praesertim ad bubones suppurantes referenda sunt. Infantes mercurium dulcem facile sustinere, raroque aut nunquam ptyalismo corripi, medicorum plerique consentiunt²⁾.

C A P U T IV.

Jam novam descripturus methodum calomelas adhibendi, ad extinguidam fere qualemcunque morbi syphilitici formam, nonnulla praefari me oportet huc pertinentia. Qui mercurium dulcem haud sufficere contendunt, ad debellandam syphilidem inveteratam, ut *Richter*³⁾, ipsi sibi repugnant, largientes nimirum, ejus efficaciam, licet blandiorem, tamen promptiorem esse et penitiorem, quam aliorum mercurii praeparatorum. Quodsi igitur vim specificam antisyphiliticam mercurii haud detrectamus, maximam tribuamus necesse est calomelani. Praeterea non tantum medici multi, supra memorati, ut *Annesley, Boyle, Cartwright* et *Weinhold* uberrimas hydrargyri muria-

¹⁾ *Sundelin*, l. c. pag. 218.

²⁾ *Sundelin*, l. c. pag. 219. — *Jahn*, l. c. pag. 46. — *Hildebrandt*, dulci mercurii laudes. pag. 40.

³⁾ l. c. pag. 243.

tici mitis doses cum fructu exhibuerunt, sed jam priores, ut *Astruc*¹⁾, *Sydenham*²⁾ et *Swieten*³⁾ hanc methodum experti sunt. *Astruc* enim aquilae albae gran. XII — XXIV, panaceae mercurialis gran. XV — XXX pro dosi imperavit, *Swieten* circiter gran. octodecim, in quinque partes divisa, per diem administravit. Quorum virorum auctoritate et experientia nixus, haud dubito, mercurium dulcem pariter ac alia remedia, imo fortiora hydrargyri praeparata, auctis dosibus posse adhiberi, multo magis quidem, si meditamur, corpus paulatim adsuefieri portionibus largioribus minusque sentire detimenta communia, v. c. nimiam tubi intestinalis irritationem, virtutem vero specificam mercurii, i. e. antisyphiliticam, minime hebescere, si corpus paulatim ferendo remedio adsuescat. Quum calomelanos efficacia penitus in corporis fabricam et oeconomiam propagetur, quam aliorum mercurii praeparatorum, maxime ad mala pertinacia, inveterata, in primis syphilitica, usum ejus quadrare, persuasum habeo idque morbi historiis, infra subjiciendis, confirmabo. — Quam brevissime potero, nunc methodum exsequar.

Aeger, submissus temperiei aequabili graduum XVI. R. et diaetae strenuissimae, totam per curationem detineatur in cubiculo. Pro prandio phialae duae aut tres infusi theiformis, aut lactis, cum pauillo panis tritici, pro coena meridiana patina minor sorbitonis eupeptae vel cum vel sine jusculo carnis et pauxillum obsonii sine carne, pro vespertina vel sorbitio levis, vel theae aliquot phialae, pro potu aqua saccharata, aut aqua cum lacte suppeditentur. Primo curationis die aeger, vespertino tempore, ante cubitum calomelanos gran. unum cum sacchari gran. V., altero die, eodem vespertino tempore gran. calomel. duo cum sachari gran. V. hauriat et ita continuentur, ut calomel. dosis singulis nycthaemeris gran. uno augeatur, donec evidentes

¹⁾ De morbo Gallico. lib. II. cap. 7. pag. 67.

²⁾ Epistol, respons. 2. pag. 240.

³⁾ De morbis venereis corumque curatione.

prodeant effectus, i. e. salivationis prodromi. Quod si fit, ulcusculum superficiale, dolorificum, post et circa dentem molarem ultimum apparet; gingivae dolent, aliquantum rarescunt, sapor metallicus, halitus oris foetidus, febris mercurialis cum singulari artuum et capitis praesertim occipitis gravitate, oriuntur. Morbo nondum sanato, calomelanos usus per biduum aut triduum suspenditur, tum ita repetitur, ut alternis nycthemeris augeatur dosis, quam curandi methodum aegroti plerumque ad perfectam sanationem sustinent. Quamquam cum evidentia dirimi non possit, quantum hydrargyri aeger sit latrus, ad recuperandam valetudinem, sed variae conditiones hoc illudve mutent, ut plurimum tamen dosis ad gran. XV — XX augeantur necesse est, ad morbum inveteratum syphiliticum aliumve tollendum. Saepe autem calomelas, nec suspenso ejus usu nec amplificatis intervallis, ad dosin granorum XXV — XXVIII bene sustinetur, quod experientia me docuit, quibus in casibus morbus ad minimum usque vestigium deletur. Sin autem necesse sit, alternis nycthaemeris dosin suppeditari, optimo cum fructu saliva fluxus levior ad morbi sanationem perfectam nonnunquam subsistere potest; verumtamen glandularum salivalium irritationem ad verum ptyalisum evehi non oportet.

Curationis norma.	Variatio I.	Variatio II.	
Dies curationis.	Dosis medic.	Dosis medic.	Dosis medic.
I.	I. gr.	I gr.	I gr.
II.	II.	II.	II.
III.	III.	III.	III.
IV.	IV.	IV.	IV.
V.	V.	V.	V.
VI.	VI.	VI.	VI.
VII.	VII.	VII.	VII.
VIII.	VIII.	VIII.	VIII.
IX.	IX.	IX.	IX.

Curationis norma.		Variatio I.	Variatio II.
Dies curationi.	Dosis medic.	Dosis medic.	Dosis medic.
X.	X gr.	X gr.	X gr.
XI.	XI.	—	—
XII.	XII.	XI.	—
XIII.	XIII.	—	—
XIV.	XIV.	XII.	—
XV.	XV.	—	XI.
XVI.	XVI.	XIII.	XII.
XVII.	XVII.	—	XIII.
XVIII.	XVIII.	XIV.	—
XIX.	XIX.	—	XIV.
XX.	XX.	XV.	—
XXI.	XXI.	—	XV.
XXII.	XXII.	XVI.	—
XXIII.	XXIII.	—	XVI.
XXIV.	XXIV.	XVII.	—
XXV.	XXV.	—	XVII.
XXVI.	—	XVIII.	—
XXVII.	—	—	XVIII.
XXVIII.	—	XIX	—
XXIX.	—	—	XIX.
XXX.	—	XX.	XX.

Quando mercurii usus suspendendus et iterandus sit, e corporis constitutione, morbi pertinacia, phaenomenis, remedii effectibus ect. metiendum est. Locus praecipue est huic methodo, ubi bubones (singulatim ulcerationes eorum inveteratae), inflammations variae glandularum atque indurations, ut epididymitis etc. formae syphilidis secundariae, v. c. dolores osteocopi, in primis condylomata et ulcera syphilitica degenerata secundaria exstant. Si (quod raro accidit, plerumque enim alvus modo semel per diem laxatur), effectus in tubum intestinalem gravior sit et diarrhoeam faciat, singulis calomelanos dosibus granum opii dimidium addere licet. Generatim quidem hujus methodi administrationem iisdem vetari conditionibus, quod mercurii, nominatum calomelanos, usum respuant, facile est intellectu, ve-

rumtamen multo tutior videtur *Weinholdio* et aliorum methodo, qui largissimas mercurii dulcis portiones adhibent, quoniam initio doses porriguntur solitae, nimirum minores, itaque effectus inimici, si qui apparent, sublato remedii usu facile suspendi possunt, priusquam universo corpori damna graviora inferant, quae minime extinguntur, si ae-groti jam ineunte curatione portiones uberiores ingurgitarunt.

MORBI HISTORIAE.

Ut fidem faciam verbis et assertis meis, breviter exponam de nonnullis aegrotis, quos praeter alios methodo supra descripta felicissime curavi. Chirurgi enim militaris munere fungens, crebram opportunitatem nactus sum, milites ac cives syphilitide laborantes observandi et quandoque sub auspiciis medici legionarii meam curandi methodum experiendi. Quum longum sit, omnibus de aegrotis, hac methodo sanatis, disserendi, de nonnullis tantum, prout varias syphilidis formas obtulerunt, hic exponam.

I.

S. B., mulier quaedam, XXVIII annorum, parentibus sanis nata, tenera quidem sed integra corporis constitutione, nunquam nisi communibus quibusdam infantiae morbis laboraverat. Ante trienium nupserat viro, impetigine squamosa (haud dubie herpete) per totum corpus laboranti, quo, cum a coitu non abstinuerit, se infectam et ex biennio furunculis, quorum et numerus et vehementia increverit, vexatam esse dixit. Proles, quam primam ediderat, perpetuae obnoxia valetudini, post annum et trimestre obierat. Quinto graviditatis secundae mense morbi vis ita increverat, ut in lectulo detineretur. Die XII. M. Sept. A. MDCCCXXV. pustulis duris per totam cutem hic illic dispersis, colore cupreo iudutis laborabat, quae leviores modo dolores movebant, perpetuis vicibus desquamabantur et amplitudinem lentis, passim pollicis habebant

Multae earum jam sanatae lividas cicatrices reliquerant, aliae dolorificae subnigris crustis praeditae erant, quibus ablatis ulcuscula superficialia impura apparebant. Pustulae minores praecipue in fronte, in facie et circa nasum, in extremitatibus superioribus, pectore dorsoque passim exstiterunt, majores in natibus, femoribus cruribusque. In cruris sinistri tibia dolorificum inflamatoriumque ulcus magnitudinis monetæ mediocris, basi squalida, inaequali instructum fere usque ad periosteum descendit cum continua vicinarum partium desquamatione. Praeterea aegrota lacinantes dolores omnium partium, in primis humerorum, capitis et crurum conquerebatur, quorum ii, qui in cruribus fuerunt saepe ad desperationem augebantur omnemque somnum auferebant. In utraque tibia exostoses graviores animadvertebantur, quae manu admota maxime dolebant. Inunctiones mercuriales morbo indicatae graviditate provectioni vetabantur, at nihilominus agendi ratione efficacissima morbo saevissimo erat occurrentum, ut, si fieri posset, aegrota ante partum radicitus sanaretur. Quum persuasum haberem, omnia haec mala pendere a causa syphilitica curamque consentaneam esse eligendam, ita, ut nec foetui, nec tenerae corporis constitutioni aegrotæ damnum inferretur, quam desuper alii medici jam mercurii praeparatis pluribus incassum usi essent, ut: mercurio sublimato corrosivo, praecipitato rubro, solubili *Hahnemanni* ect; consilium cepi calomelas tanquam mite antisyphiliticum simulque antiphlogisticum adhibendi. Itaque, ut diutius sustineretur et contra morbum efficacius esset, hujus remedii doses rariores inque dies auctas administrare constitui, donec vel morbus extingueretur, vel minueretur. Quum aegrota doses XXI continuas magis magisque decrescente morbo sumisset, febris quaedam inflammatoria incidit, quae intra paucos dies, remediosis plane sepositis, sponte decessit, aegrota, ulceræ post octavum diem sanato, tempore legitimo peperit et tam infans quam mater perfecta valetudine gaudent.

II.

Incitatus prosperrimo hujus methodi calomelas adhibendi eventu, oblata occasione amplius experiri decrevi. Die XXIII Julii MDCCCXXVI spiritus frumentacei destillator F. W. annum agens XXXII. maritus, robustae constitutionis, qui M. Decembri MDCCCXXV post coitum impurum urethroblennorrhœa, sex hebdomadibus post epididymitide graviori testiculi sinistri affectus, his malis medela diligenter adhibita quidem levatus, nequaquam autem sanatus erat, tumor enim testiculi vehemens, durus, interdum aggravescens superstes erat, et duos ante menses iterum in utraque inguinali regione, quamvis parum dolentes, tamen tendentes, paulatim crescentes, durosque bubones conceperat, me consuluit. Qua re occasionem nactus videbar, calomelas quatuor ante menses usque ad salivationem exhibatum pro remedio antisyphilitico raris auctisque deinceps dosibus exhibendi. Quum spes restituendae valetudinis mox affulgeret, sed post duodecimam dosin (XII gran.) calomelanos prodromi ptyalismi apparerent, per quatriuum nihil aegroto porrexii, tum vero alternis nycthemeris unam medicamenti ejusdem dosin obtuli, donec, octodecim dosibus assumtis (XVIII gran.), itaque viginti septem diebus praeteritis, aegrotus sanatus dimitti posset. Ab eo inde tempore crebro epididymidis aliorumque adenophymatum, praecipue bubonum tam privatorum hominum, quam militum, resolutionem et sationem perfectam hac methodo absolvi; ita quidem, ut epididymis decem, bubones autem viginti vel viginti quinque doses requirerent.

III.

Primo militiae anno MDCCCXXVII; quo in nosocomio militari medici munere fungebar, velites quidam *E. Zwiener*, jam diu secundum *Bergii*, *Dzondii* aliorumque methodos antisyphiliticas curatus, premature apertis bubonibus indeque degeneratis ulceribus fistulosis laborabat. Venia a medico

praefecto impetrata calomelas gradatim adhibendi, viginti quatuor doses continuas exhibui, quibus factum est, ut brevi tempore sanatus homo nosocomium derelinquere posset. Postea in hoc eodem nosocomio permulti et diversi secundarii inveterati, plus minusve aperti morbi syphilitici, qui aliis medendi methodis restiterant, vel recidivi evaserant, hac methodo prospere sunt sanati.

Certum argumentum, quod calomelas ita adhibitum tenacissimos morbos tuto eanare atque maximis dosibus haustum cum debitis cautelis sine detimento aut graviori effectu sustineri, haec morbi historia offert:

J. v. F. XXIII annos natus, mediocris corporis constitutionis, usque ad decimum annum minus firma valetudine usus, (scrophulosis laborans) ante XVIII menses coitu impuro urethroblennorrhoeam et ulcera syphilitica pone ac circa glandis coronam conceperat. Quae mala frustra impugnata, profluviu*m* ichorosum modicum ex urethra reliquerant, et quamquam praeputium partis sinistrale a frenulo inde per semicirculum cum glandis corona coauerat, tamen dextrum dimidium pone et circa glandis coronam, ubi ulcera haud ad praeputium usque processerant, ulcere syphilitico superficiali, rubro, ichoroso infectum mansit, quod per integrum annum non mutabatur. His morbis persistentibus, sed mitigatis aegrotus citra infectionem recentem ulceribus faucium secundariis, iisque mercurii usu largiori sublatis, pluribus in locis corporis herpete syphilitico corripiebatur, praesertim in pectore, facie et humeris. De triplici malo die XII. M. Decbr. MDCCCXXIX consultatus, eandem curandi rationem administravi. Aegrotus, omnibus praeceptis accuratissime obsecutus, in dies convalescens, (intra X dies enim profluviu*m* urethrae, intra XX cetera morbi symptomata tollebantur) viginti octo doses calomelanos deinceps auctas sumere potuit continuas. Juvenis plena sanitate usque ad hodiernum, quod scio, diem laetatur.

IV.

F. v. D. XXII annorum, infirma corporis constitutione, tenera aetate morbo scrophuloso, imo etiamnum xerophthalmia afflictus, Mens. Martii MDCCCXXVIII impuro coitu urethrobленorrhœam atque ulcera syphilitica numerosa post et circa glandis coronam adsciverat, quae tum per se malignissima multos per menses (V.) et internis et externis remediis mercurialibus restiterunt, tum per phimosis congenitam a sanatione abalienabantur. Quatuor demum mensibus elapsis, variis mercnrii praeparatis et antigenorrhoicis aegrotus utroque malo liberatus, non solum in cicatricibus, sed etiam in glande praeputioque condylomata numerosa acuta succrescere vidi, quae in priori parte acer- vatim confluentia, pisi magnitudinem haud multo post adepta erant, et, magna copia mercurii ingesta, vel resectione vel causticis ablata, renata erant. Medela per novem menses continuata, incremento atque numero illis operationibus paulisper diminuto, aegrotus mercurio praecipitato rubro adhuc utens, post impurum coitum denuo graviori urethrobленorrhœa ulceribusque sat magnis syphiliticis est tentatus, quae vero facilius sanari potuerant, (intra menses II.). Sed fere extemplo non tantum relicta condylomata celeriter increverunt, verum etiam nova plnra sunt addita, quae passim, inprimis in dextro latere glandis ipsius et post ejus coronam, fabae magnitudinem obtinuerunt, imo ex urethrae orificio unum excrevit. De malo tenacissimo die XXI M. Februarii MDCCCXXIX consultus, calome- las eadem ratione, ut supra exposui, diaeta tenui ordinata, praescripsi; quod tantum, quum aegrotus, quindecim dosibus deinceps ingestis et nondum malis plane sublatis, de prodromo ptyalismi conqueretur, alternis nychthemeris semel, externe aceto saturnino adjuncto, praebui, ita, ut salivatio minoris gradus per quatuordecim dies sustineretur, quibus factum est, ut, quidquid mali adisset, tolleretur.

V I T A.

CAROLUS EXNER, a. d. XIV. Calend. Julii A. MDCCCI
Steinseiffenae, Silesiae pago, ab Hirschberga haud pro-
cul dissito, patre optimo CHRISTIANO, t. t. pharmaceu-
tae munere fungente, matre dilectissima BEATA, de gente
ENDIANA, quos parentes dura fata pueri mihi abstulerunt,
natus et confessioni evangelicae addictus sum. Pri-
mis, quibus puerilis aetas impertiri solet, litterarum ru-
dimentis eruditus, gymnasium, quod Hirschbergae floret,
adii, ubi omnibus scholasticis studiis operam navavi, eo-
que relicto magistro usus sum peritissimo doctissimoque
HENSEL, praceptoris privati munere fungente, qui ro-
manam graecamque linguam, nec non ceteras artes in-
genuas per biennium mecum communicavit, quo quidem
adjuvante eo perveni, ut postea, quum arti salutari, ad
quam amor impulit mentem, studium viresque impen-
dere constituisse, alumnorum instituti regii medico-
chirurgici, quod Vratislaviae viget, numero adscriberer;
simul in alma Leopoldina per quadriennium integrum
omni, qua potui, diligentia scholis medico-chirurgicis
virorum doctissimorum et illustrissimorum interfui:

De Therapia generali et speciali, de arte formulas
medicas concinnandi Illustr. REMER; de Pathologia ge-
nerali, de Therapia chirurgica, de Toxicologia atque au-
xiliis in repentinis vitae periculis ferendis, de materia
medica, nec non chirurgica, de syphilide, de medicina
forensi, de interpretanda Pharmac. Borussica, de Ger-
maniae thermis, de arte formulas medicas concinnandi,
de therapia speciali tam morborum acutorum, quam chro-
nicorum, de morbis infantum Illustr. WENDT disseren-
tes audivi; iidem in scholis clinicis medicis praceptores
mihi fuerunt. Anatomiam universam, osteologiam et syn-
desmologiam, artem cadavera rite dissecandi, pracepta
cadavera in foro perscrutandi atque dissecandi, physio-

logiam, historiam foetus, anatomiam pathologicam Illustr. OTTO me docuit. Instrumentorum expositionem, doctrinam de ossibus luxatis fractisque, nec non de fasciis applicandis, akiurgiam, chirurgiam generalem et specialem, exercitationes clinicas chirurgicas Illustr. HANCKE; easdem paelectiones nec non ophthalmiatricas scholas atque materiam medicam Cel. BENEDICT frequentavi. De auditus morbis et dynamicis articulorum Beat. BREHM; de angiologia Cel. SEERIG; de arte obstetricia, et theoretica et practica Beat. ANDRÉE lectiones adii. Nunquam ex animo dimittam summam optimos erga praeceptrores pietatem praecipue erga Illustr. HANCKE, qui pae multis favore ac studio magno me amplexus, quolibet tempore tantam indulgentiam atque clementiam mihi exhibuit, ut memoriam ejus in aeternum pia mente colere haud desinam. Quadriennio elapso, Macrobielaviam ad comitem SANDRECKI-SANDRASCHÜTZ, morbo chronic laborantem, arcessitus sum, cuius viri Geneross., qui maxima urbanitate comitateque domi suae me excepit et de re quacunque quaerentem quovis tempore et verbis et factis benevolentissime edocuit, memoriam, dum anima spirabo mea, nulla oblivio unquam extinguet; apud eundem ad colendas litteras sat temporis mihi suppetiit. Per triennium fere ibidem versatus, examine chirurgico exantlato, quod, ut militiae satisfacerem, idoneum me reddidit, apud primam cohortem velitum Silesiacorum chirurgi inferioris munus obtinui. Quo tempore quum munus publicum satis otii mihi paeberet, scientiis necessariis munitus, examen sustinui scholasticum coram collegio examinatorio supremo, et testimonio maturitatis instructus, in civium academicorum Vratislaviensium numerum receptus sum, quo facto, per tria semestria hisce paelectionibus usus sum: Cel. BRANISS logicen, psychologiam, historiam philosophiae veteris aevi et hodegeticen; Cel. STEFFENS anthropologiam mihi illustraverunt. Cel. FISCHER de chemia generali, organica atque de reagentibus; Cel. FRANKENHEIM de physice experimentali; Cel. LICHTENSTAEDT de Celsi libris docentes intellexi. Cel. TREVIRANUS, HENSCHEL et GOEPPERT elementa botanices, plantas officinales, anatomiam nec non physiologiam regni vegetabilis mihi exposuerunt; eorundem demonstrationibus excursionibusque botanicis interfui; Cel. GLOCKER mineralogiam et Crystallographiam; Cel.

KLOSE morbos psychicos, encyclopaediam medicam mihi explicuerunt.

Tum ad numerum litteris deditorum Instituti medico - chirurgici Friderico - Guilelmiani vocatus, studiis meis institutiones sequentes virorum illustrissimorum, ubicunque terrarum clarissimorum, addidi: Illustr. RUDOLPHI anatomen comparatam, physiogiam ac encyclopaediam et methodologiam medicam; Illustr. HERMBSTAEDT pharmaciam et chemiam pharmaceuticam tradentes adii. Illustr. KLUGE doctrinam de ossibus luxatis et fractis, de fasciis applicandis et akiurgiam; Illustr. LINK Toxicologiam; Illustr. CASPER medicinam forensem et formulas medicas conscribendi artem; Illustr. F. HUFELAND semioticen; Illustr. TURTE pharmaciam experimentalem mihi exposuerunt.

Jam vero tentamine philosophico atque medico, nec non examine rigoroso rite superatis, fore spero, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in utraque medicina honores rite mihi deferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. *Carditis ab aliis inflammationibus bene discerni potest.*

II. *Luxationem congenitam exoriri vix arbitror.*

III. *Sphacelus nonnunquam amputationem expostulat.*

IV. *Homoeopathia plane est rejicienda.*

